



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 47. Ochinus Commendoni opera e Polonia ejectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.

A.C. 1563.

§. XLVII.

Ochinus Commendoni opera e Polonia ejectus.*Gratian. l. c.
Hist. Ref.
Pol. c. 4.
pag. 110.*

Perniciosa hæc dogmata Ochinus eo tempore in Polonia spargebat, dum Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo sexagesimo quarto Commendonus tanquam Pii IV. Pontificis Nuntius ad Sigismundum Augustum ablegatus in hoc regnum venerat, qui etiam hunc fidei desertorem, omnesque reliquos, qui unacum eo periculosas hæc opiniones in Regno divulgabant, vehementer impugnabat, ac cum illum sæpius de sua hæresi coram Rege, ac præcipuis Aulicis accusasset, palam a Senatu ei jus dici petebat, remque tam potenter urgebat, ut ab eodem Senatu edictum obtineret, vi cuius omnes hæretici exteri nulla mora e regno excedere jubebantur. Hoc edictum anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto integra fide executioni mandabatur, præcipue erga novos hosce Arrianos, qui natione Poloni non erant: itaque Ochinus, cum se præcipuam hujus tempestatis causam esse haud ignoraret, in Moraviam secessit, nequicquam sollicitantibus quibusdam Polonis Proceribus, qui grave hujus hæretici senium, ægritudinem,

ac

ac ingenii dotes miserati illum in Regno detinere nitebantur, pollicitatione facta, quod juncta suorum amicorum opera apud Regem deprecari vellent, ut is in ejus gratiam legis severitatem temperaret.

Sæcul. XVI.
A.C. 1564.

§. XLVIII.

Ochinus in Moraviam affugiens, ibique peste sublatus.

Verum Ochinus pro hoc obsequio grates rependens in Moraviam contendit: ast in itinere adhuc constitutus Pinczoviæ, ubi a Philippovio pertinaci Unitario omni obsequiorum genere honoratus diversabatur, suas proles ex pestilentia morbo amisit: paulo post autem iter suum Moraviam versus profectus, ac Slakoviam veniens tertio post mense anno ætatis suæ septuagesimo septimo decessit. Hic fuit exitus Bernardini Ochini, quo certe haud alius magis ætate sua Ministerium prædicationis extollebat, nemo autem illo plus in fidei dogmatibus inconstans, deprehendebatur.

Grat. l. c.

§. XLIX.

Bernardini Ochini opera.

Primum ingenii sui experimentum, quo Ochinus calamum suum exercebat, erat apologia, qua suam a fide,

Sand. in
Bibl. Antitrin. p. 3. 1564.

&